

Band XI., Nr. N5655, Seite 518

Äbtissin Signa von Lindau belehnt die Brüder Berthold und Eberhard von Lupfen mit Gütern in Frittlingen.

Lindau, 1267. April 12.

Omnibus Christi fidelibus presentium inspectoribus Signa divina permissione abbatissa monasterii Lindaugiensis salutem et notitiam subscriptorum. Noverint universi tam presentes quam futuri, quod cum nobilis vir Fr. de Rotenstein feodum homagiale, quod a nobis et ecclesia nostra super possessiones iam dicte nostre [ecclesie]^a apud Fritelingen habuit, in nostras manus libere resignarit petendo humiliter et voluntarie, quatenus nobilibus viris Ber. et Eber. fratribus de Lupphen idem feodum cum omnibus suis pertinentiis eo iure, quo tenuit, concedere dignaremur, nos terre consuetudinem attendentes memoratis nobilibus fratribus prefatum feodum eo iure, quo predictus Fr. scilicet homagiali tenuit, concessimus ab ipsis et eorum heredibus sub eodem iure possidendum. Ceterum ut ecclesia nostra ratione feodi huiusmodi, de quo dictos fratres infeodavimus^b, non patiatur dispendium aut gravamen in possessionibus predictis, promiserunt iidem fratres fide prestita nomine iuramenti, ecclesiam nostram in eisdem possessionibus indebite non gravare aut quicquam ultra id ab hominibus ipsius ecclesie et possessionibus exigere aut extorquere, quod est ab antiquo impositum et statutum. In cuius rei testimonium presentes litteras scribi fecimus conventus nostri accedente consensu et nostri et eorundem nobilium sigillis munimine roborari.

Datum et actum Lindaugie, anno domini MCCLXVII., feria tertia post dominicam palmarum, indictione X.

Der Textabdruck folgt dem Original.

Nur das gemeinsame runde Siegel der Gebrüder von Lupfen, 40 mm, an der Urkunde, das einen Topfhelm zeigt, darauf ein Schwanenrumpf zwischen einem mit Pfauenfedern besteckten Joch; Umschrift: + S . BERT . ET . EBERH . FRUM . D . LVPHEN .

^aDieses Wort ist ausgelassen, aber notwendig zu ergänzen.

^bHier folgt wieder *nostra ecclesia*, ist aber durch Unterstreichen getilgt.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

StA Augsburg

Signatur/Titel des Originals:

Lindau Frauenstift Urkunde 20

Überlieferung und Textkritik:

War ehemals im HStA München.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Lindau

Ortsindex:

Frittlingen Wohnplatz (14057)

Frittlingen, TUT

Lindau, LI

Lupfen Wüstung (23423)

Lupfen, Talheim, TUT, W

Rothenstein, Grönenbach, MN